



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Ad Pragenses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

tant id genus literæ, ac nominatim ad Pragenses,
ad Monachienses, ad Oenipontanos Collegas;
quarum huc partem non alienum erit adscribe-
re, ut sanctissimi ac sapientissimi Patris supremæ
voces vndiq; personent Posterorum aures.

*Ad Pragen-
ses,*

Et Pragenses quidem præclarè admonet non
modo vt Austriacis Collegij Autoribus, sed etiam
vt Diuis Tutelaribus Ciuitatis grati sint, ut qui sint
omni exceptione maiores ex cœlo Patroni, & ami-
ci: & quorum potentibus, fidisq; suffragiis stare
ad id loci, atq; durare eorum res certissimum ipse
habebat. Quare grata, inquit, & frequens apud
vos memoria vigeat Diui Adalberti primi apud
Boemos Apostoli, Diui VVenceslai Principis, ac
Martyris. Diui Clementis Patroni vestri Aposto-
lici, Diui Sigismundi Regis Burgundici, & alio-
rum quoq; sanctorum, quorum nomina, & me-
rita, ut sanè iustum est, in Pragensi Ecclesia tot se-
culis celebrantur, & quorum efficaci intercessio-
ne multa vobis, vestrisq; conatibus diuinæ gratiæ
munera, mihi credite, subinde communicantur.
Postremo etiam, atq; etiam rogo, ut quotquot a-
pud D. Clementem habitatis, vocationis vestræ
memores, concreditam vobis Vineam Boëmicā
magni

magni faciatis, vestramque messem illustri loco
Pragæ sitam indefesso studio pergatis excolere
Christo auxiliante. Vita sit vobis irreprehensibi-
lis, in qua præclarum luceat specimen sancte pau-
pertatis, perpetuæ continentiaæ, obedientiæq; re-
ligiosæ. Peculiariter autem patientiam, & carita-
tem vestram non Catholicim modò, sed etiam Ca-
tholicorum hostes, falsique fratres re ipsa compe-
riant, nomen IES V videlicet per vos magis, ma-
gisque glorificari. Etenim non solum ad docen-
dum, & concionandum, sed etiam ad crucem fe-
rendam, & ad benè merendum de omnibus vos
istuc vocatos, ac missos esse nunquam non me-
minisse debetis. Vigeat igitur in omnibus ille,
quem P. N. Ignatius in primis postulat, vigeat, in-
quam, Zelus feruens animarum, quo prædicti ea,
quæ Christi sūt, sinceris procuretis animis: in hoc
diligenter intenti, vt oues errantes ouili suo, ve-
roque Pastori, quo ad eius fieri potest, in agro Boë-
mico restituantur. Amen, Amen. Seniorem Ca-
nismum, qui primum Collegij nostri lapidem iec-
cit, in Christi nomine vestris & sacrificiis, & pre-
cibus Domino commendetis quæso.

In literis ad Monachienses datis ipse metaper,

*Ad Monachi-
enses.*

•

r 3

tè te-